QVAESTIONVM THEOCRITEARVM
SPECIMEN PRIMVM.

DISSERTATIO

INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AVCTORITATE ATQVE CONSENSV

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ALBIN KRVMBHOLZ

ALTENBVRGI-SAXONICVS.

DRESDAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA RAMMINGIANA

MDCCCLXXIII.

Quaestionum Theocritearum

specimen primum,

quo agitur de locis aliquot primi idyllii

difficilioribus ad fabulam Daphnidis

spectantibus.

Musae bucolicae patriam esse existimandam Siciliam atque origines vel primordia referenda ad prisca illa tempora, quibus ipsa vita pastoricia exerceri coepta erat, multis iisque gravibus argumentis satis comprobatur [1]). Etenim quae et scholiastae Theocriti (*περὶ τοῦ ποῦ καὶ πῶς εὑρέθη τὰ βουκολικά* et *περὶ διαφορᾶς τῶν βουκολικῶν*) et grammatici [2]) narrant aut in Lacedaemonia aut Tyndaride, Siciliae urbe, aut Syracusis Dianam certis diebus festis sive ab hominibus rusticis sive a pastoribus celebratam esse ac cultam carminibus bucolicis, ad eam potius nos aetatem remittere videntur, qua poesin bucolicam iam receptam esse in cultum religionemque Dianae ac numen rerum rusticarum praeses propitium esse nobis licebit statuere. Pastores quidem Siculi, quos iam antiquitus arti canendi operam navasse et exercendae et excolendae eosque cantantes ex patriae discessisse finibus iidem referunt grammatici, quin summam nanciscerentur glo-

---

[1]) Cf. quae de origine poesis bucolicae disseruerunt Fritzsch. de poet. gr. bucol. (Gissae 1844) p. 11 sq. Welcker. in „kleine schriften“ (Bonn 1844.) t. I, p. 403. Hauler, de Theocriti vita et carminibus. Frib. Brisig. 1855 p. 41 sq. Eberz. in praef. transl. germ. p. 13 sqq. Zimmermann. ibid. p. 13 sq. Notter in praelegomenis, quae praemissa sunt translationi germanicae ab ipso et Moerikio institutae p. 1 sq. Doehler. in libello, quem de Theocr. id. XXI scripsit (Brandenb. 1869) p. 18 sq. et Fritzsch. in edit. Theocr. c. adn. germ. (II.) p. 4. not. 12.

[2]) Probus in G. Fabricii edit. Virg. Basil. 1551 proleg. Diomed. l. III. p. 483. Putsch., quibuscum compares Heyne „de carmine bucolico“ in ed. Virg. (ed. IV. cur. Wagner.) vol. I. et quae recte his de narratiunculis iudicavit Hauler l. c.

riam et tanquam heroes a posteritate magnificentissime celebrarentur prorsus nihil habet offensionis.

Auctorem vero vel inventorem fuisse carminum bucolicorum Daphnidem quod exhibent Diodorus, Silius Italicus, alii, ut potius Daphnidis dolores celeberrimum ac praecipuum fuisse argumentum existimemus monuit C. F. Hermannus [3]). Etiam Theocriti temporibus floruisse poesin bucolicam elucet ex Diod. Sic. IV, 84: *φύσει δὲ διαφόρῳ πρὸς εὐμέλειαν κεχορηγημένον ἐξευρεῖν [τὸν Δάφνιν] τὸ βουκολικὸν ποίημα καὶ μέλος, ὃ μέχρι τοῦ νῦν κατὰ τὴν Σικελίαν τυγχάνει διαμένον ἐν ἀποδοχῇ* [4]).

Ac primum quidem Stesichorum iam et genus bucolicum tractavisse et Daphnidis fabulam descripsisse principem Aelianus refert var. hist. X, 18: *ἐκ δὲ τούτου τὰ βουκολικὰ μέλη πρῶτον ᾔσθη, καὶ εἶχεν ὑπόθεσιν τὸ πάθος τὸ κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ καὶ Στησίχορόν γε τὸν Ἱμεραῖον τῆς τοιαύτης μελοποιΐας ὑπάρξασθαί (φασι).* Omnes vero quas praebet Theocritus descriptiones in carminibus, quibus bucolici sibi comparavit princeps nomen poetae et locorum et morum tantam redolent fidem ac veritatem, ut quos sequitur duces bucolistas longe praestitisse omnes consentiant viri docti.

Elegantissimam atque insignissimam illam de Daphnidis amore infelici flebilique obitu cantilenam poeta noster utrum composuerit ex carminis, quod habuit ante oculos, popularis alicuius imitatione expresseritne eiusmodi cantum, qualem ex ipso populi ore desumpsit liberrimeque converterit ex ipsius ingenio atque arte etiamnunc sub iudice lis est [5]).

---

[3]) in disput. de Daphnide Theocriti. Gotting. 1853 p. 3.

[4]) vid. Welcker. l. c. p. 409.

[5]) cf. Hauler. l. c. p. 47. Gebauer. de poetarum graecc. bucolicorum imprimis Theocriti carminibus in eclogis a Vergilio expressis libri II. (Lips. 1861). vol. I. p. 12 et 104. Fritzsche in ed. Th. min. (II. Lips. 1869) p. 12. Welcker. in censura libelli de Stesichori vita carminumque reliquiis editi a Kleinio inserta Jahnii annall. 1829. P. IX, p. 293 repetita in eiusdem kl. schriften, t. I, p. 200. — Gre-

De Daphnidis amoribus fatisque quum quae alii scriptores et ipse adeo Theocritus aliis carminibus tradiderunt aut inter se conciliare aut ad eam fabulam, quam in primo idyllio proposuit poeta, explicandam adhibere interpretes recentiores studuerint, hoc ne fieret, iam Jacobsius olim monuit, alii repetiverunt[6]). Qua in re non possumus non quam vehementissime dolere, quod cantilena illa celeberrima difficultatibus bene multis iisque gravibus obsita est atque implicata, quas excutere atque removere quamquam studuerunt et editores et interpretes recentissimi, tamen sententiae eorum, quum magis minusve discrepent, fortasse mihi quoque sperare licet operam a me in Theocrito positam aequis et humanis iudicibus, si qui forte haec perlegerint, haud prorsus ingratam fore.

Jam antequam et lectionum varietatem et interpretationis accuratius considerabimus locosque ipsos aliquot primi idyllii difficiliores ad mythum Daphnidis spectantes tractabimus, quomodo res inde a versu 71 procedant, videamus: in qua quidem quaestione quum hanc mihi scripserim legem, ut nihil admittam nisi quod aut ipsis Theocriti verbis fulciatur et comprobetur aut certe iis non adversetur, inde ordiendum mihi esse censeo, ut aliorum scriptorum de Daphnide fabulis prudenter abstineam et in ipsis Theocriti verbis acquiescam.

Postquam narravit poeta silvestres etiam bestias, thoes, lupos, leones exstinctum deploravisse Daphnin, deorum et hominum primus accedit Mercurius, princeps deorum agre-

---

ver. zur würdigung, erklärung und kritik der idyllen Theocrits, II. aufl. (Oldenb. 1850) p. 15 et 26 sq. Gevers. die 10. ecloge des Virgil, eine parodie. (Hannov. 1864) p. 13 et not. 34.

6) Armin. Koechly carminum Theocriteorum in strophas suas restitutorum specimen. Turici 1858. (repetit. in eius opusc. epic. quatuor, ibid. 1864) p. 28. Zetzsche quaestt. Theocr. particula V, Altenb. 1865, p. 3.

stium; scit ille quidem Daphnin amare, sed nec cuius amore flagret nec cur tanto opere contabescat. Sequuntur bubulci, opiliones, caprarii, qui cum nihil tale suspicentur, benigne ex eo quaerunt, quid ei acciderit; Priapus deinde accedens his verbis eum alloquitur: „Daphni, inquit, miser, quid, quaeso, tabescis? Ipsa scilicet puella fontes per omnes ac nemora pedibus fertur te quaerens. Ah te perdite amantem et inopem consilii! Bubulcus vero vocabaris, nunc autem similis es caprario. Caprarius quando videt capras ut saliuntur, oculis tabescit, quod non hircus ipse natus est; etiam tu, ubi vides virgines, sicuti rident, tabescis oculis, quod non cum illis choreas ducis.“ His vero omnibus Daphnis nihil respondit sed suum conficiebat acerbum amorem et ad extremam conficiebat mortem.

Summum carminis argumentum positum esse in amore Daphnidis Car. Frid. Hermannus verissime monuit [7]). Jactaverat enim Daphnis, divinus ille atque nobilis inter Siculos pastores armentarius ac venator, se superaturum esse Amorem i. e. nunquam se Amoris vi subactum iri. Hac sui fiducia numen Veneris temere laesum effecit, ut puellae cuiusdam arderet amore quam vehementissimo. Puella autem — ut mea faciam verba Kreussleri — tantum aberat, ut mutuum detrectaret amorem, ut assectaretur eum et postquam ille delitescere coepit, per consueta loca solitaque pascua, ubi antea carmina eius audire consuesset, quaereret ac vestigaret. Ast ille quum tandem constringi se vinculis amoris videret vimque ardentem penitus ingruere haerereque in medullis sentiret, tum quando se tandem obligasset sacramento intellexit. At cum vim aestumque amoris restinguere atque excutere ex animo neque posset neque vellet naturae cedere necessitati, gravissimis cruciatibus exhaustus animam misere exhalavit.

Jam ad singula accedamus.

---

[7]) de Daphn. Th. p. 18.

Daphnidem nunquam se ab Amore victum iri magnifice prae se tulisse elucet ex Veneris verbis vss. 97, 98:

τύ θην τὸν Ἔρωτα κατεύχεο, Δάφνι, λυγιξεῖν·
ἦ ῥ᾽ οὐκ αὐτὸς Ἔρωτος ὑπ᾽ ἀργαλέω ἐλυγίχθης;

Primus, qui in verbo *κατεύχεο* offenderet, nisi fallor, Car. Fridericus Hermannus fuit, qui ad hunc locum adnotavit haec: *κατ᾽ εὔχεο* per tmesin scribendum esse arbitror, ut *κατὰ* cum *λυγιξεῖν* potius iungatur [8]); hunc adversus Kreusslerus recte disputasse videtur [9]); nam quomodo praepositio *κατὰ* pronuntiando disiungatur a proximo quocum et sono et notione arcte cohaeret verbo id prorsus nego mihi quidem esse perspicuum. Verbum autem *κατεύχεσθαι*, id quod minime potest dubitari, vix alium locum invenire licebit, cui accommodatius sit quam huic, eodem dictum sensu quo apud Athen. XIII, p. 573: E *οἱ ἰδιῶται κατεύχονται τῇ θεῷ ἀπάξειν αὐτῇ πακτὰς ἑταίρας*; et Bergkii coniectura a Fritzschio commemorata *τύ θην τὸν Ἔρωτα ποκ᾽ εὔχεο, Δάφνι, λυγίζειν* quamvis simplicissima num probari possit valde dubito. Metaphoram ipsam esse ab athletis sumptam demonstraverunt Fr. Jacobs ad Philostr. imagg. II, 32 et J. G. Huschkius in Wolfii anal. liter. t. I. p. 145. Atqui quid sit quod iactaverit Daphnis nunquam se Amoris vi superatum iri interpretes excogitaverunt incredibilia atque mirabilia: verum enim nec Naidis uxoris [10]) nec iurisiurandi, ne cum alia concumberet vel eidem dati vel Dianae, quo eius addixerit cultui caelibatumque se acturum promiserit ne tenuissimum quidem vestigium quum nostro in carmine reperiatur viri docti quod non ipsis Theocriti verbis acquiescere voluerint, reprehensione digni sunt

---

[8]) l. l. p. 16. not. 46; eius ex auctoritate recepit hanc scripturam Stoll in anthol. lyricc. gr. (Hannov. 1864) vol. II. p. 148 ed. III.

[9]) observatt. in Theocr. carmen I. (Misen. 1863) p. 15. cf. Fritzsche in edit. mai. ad h. v.

[10]) Schol. ad id. I, 66: *ὅτι γοῦν νύμφης ἤρα ὁ Δάφνις, ἡ δὲ νύμφη ἀπεστρέφετο αὐτὸν διὰ τὴν πρὸς ἑτέρας γυναῖκας ὁμιλίαν, αἰνίσσεται ὅτι οὐδὲ αἱ λοιπαὶ ἐν Σικελίᾳ ἦσαν, ὅτε ὁ Δάφνις ἔθνησκεν.*

gravissima [11]). Rectissime Kreusslerus hac de re sic iudicavit: „Daphnis cum propter miram canendi artem insigni fama celebraretur nec solum dii hominesque cantum eius admirarentur, sed eodem brutae quoque feraeque bestiae allicerentur delenirenturque, tantum ille sibi sumsit spiritum ac fastum, ut quoniam omnia flectere ac regere posse videretur contemta Veneris deae potentia nunquam se amoris vi subactum iri iuraret et iactaret.“ Nam quae hac de interpretandi ratione dubitans Daphnidem neque a Theocrito nec ab alio poeta talem fictum esse qualem depinxerit Kreusslerus attulit Zetzschius [12]), per se levia mihi esse videntur, si modo nobis persuasimus cantilenam popularem a Theocrito spectatam et expressam esse vel tantum tenemus Theocritum ex popularibus multumque iactatis Siculorum pastorum cantilenis hausisse.

Jam pervenimus ad quaestionem valde difficilem de deliciis vel de mystica illa *κώρα* Theocritea, quae haud scio an viris doctis maiores paraverit quam ipsi Daphnidi cruciatus, quibus in latebris hoc saltem curandum erit, ne falsa fabulae interpretatione seducti puellam illam cum una ex iis, quas adhuc cum Daphnidis historia iunctas statim inveniemus confundamus.

Exstant enim de ipso Daphnidis amore alia ex Theocrito testimonia eaque gravissima haece:

id. VII, 73:

ὡς ποκα τᾶς Ξενέας ἠράσσατο Δάφνις ὁ βούτας.

id. VIII, vss. 92, 93:

Κὴκ τούτω πρᾶτος παρὰ ποιμέσι Δάφνις ἔγεντο,
καὶ Νύμφαν ἄκραβος ἐὼν ἔτι Ναΐδα γᾶμεν.

Ad secundum locum adscripsit scholiastes ex edit. Ahrens. t. II. p. 302: *Νύμφην τὴν Ξενέαν* (Gaisf. *ξενίαν*) *λέγει* et *ἱστοροῦσι γὰρ αὐτὸν ἀγαπηθῆναι ὑπό τινος Νύμφης, ἣν*

---

11) cf. Koechly l. l. p. 28 et Zetzsche p. 5.
12) l. c. p. 5 not.

Σωσίθεος Θάλειαν καλεῖ. παρακελευσαμένης δὲ αὐτῆς ἄλλῃ γυναικὶ μὴ ὁμιλεῖν μὴ τηρῆσαι τὴν παραίνεσιν [αὐτῆς] [13]). ὅθεν ὁ μὲν Θεόκριτός φησι τὴν Νύμφην ἀποστῆναι αὐτοῦ, αὐτὸν δὲ ἀντιμεταβαλόντα τὸν ἐκείνης ἔρωτα ὑπὸ λύπης μεταλλάξαι τὸν βίον. ἐκτὸς εἰ μὴ αὐτὸν μέν φησιν ἀπείπασθαι αὐτήν, ἄλλης δὲ ἐρασθῆναι·

ὥς ποκα τᾶς Ξενέας ἠράσσατο Δάφνις.

οἱ δὲ λοιποί φασιν αὐτὸν τυφλωθέντα καὶ ἀλώμενον κατακρημνισθῆναι. Huc accedit, quod scholiastes praebet ad id. I, 65: Δάφνις μὴ δυνάμενος φέρειν τὸν τῆς Ξενέας τοὔνομα Νύμφης ἔρωτα ἀπέλιπε τὸ ζῆν. et ad v. sequ.: ὁ Δάφνις Σικελιώτης ὑπάρχων ἐν Σικελίᾳ ἦν, ὅτε τὰ λοίσθια ἔπνεεν. ὅτι γοῦν Νύμφης ἤρα ὁ Δάφνις, ἡ δὲ Νύμφη ἀπεστρέφετο αὐτὸν διὰ τὴν πρὸς ἑτέρας γυναῖκας ὁμιλίαν, αἰνίσσεται ὅτι οὐδὲ αἱ λοιπαὶ ἐν Σικελίᾳ ἦσαν, ὅτε ὁ Δάφνις ἔθνησκεν. His ex testimoniis illud certum atque exploratum esse Daphnin quidem prima in adulescentia matrimonium inisse haud facile quisquam negabit; uxor vero quaenam fuerit et quo nomine, de eo et scholiastes et interpretes in diversa abeunt. Etenim ipse Theocritus id. VII, 73 Daphnidis amatam nominavit Xeneam, Sositheus in argum. id. VIII Θάλειαν; quodsi poeta eandem id. VIII, 93 appellat Νύμφαν Ναΐδα, hoc nomen non pro proprio habendum esse apparet ex Hom. Il. VI, 21: οὕσποτε νύμφη νηὶς Ἀβαρβαρέη τέκ' ἀμύμονι Βουκολίωνι. ibid. XIV, 444: ὃν ἄρα νύμφη τέκε νηὶς ἀμύμων. XX, 384; Od. XIII, 356: νύμφαι νηιάδες, κοῦραι Διός. ibid. XIII, 104: ἱρὸν νυμφάων, αἳ νηιάδες καλέονται. cf. Eur. Helen. 187: Νύμφα τις οἷα Ναΐς.

His quae attulimus exemplis repugnare videtur et Naida pro nomine proprio habuisse Ovid. Art. Am. I, 732: pallidus in tenta Naide Daphnis erat. Sed, quod recte monuit Hermannus, iam lentae epitheto ostendit se praeter nomen nihil ex tota fabula cognovisse, si quidem ceteri omnes non lentam

[13]) Cod. Ambros. 222 ex rec. Ziegleri p. 65: μὴ τηρήσας τὴν παραίνεσιν αὐτῆς ἐμισήθη αὐτῇ.

vel languidam ad amorem Nympham, sed eam potius describunt, quae sive forma pueri sive canendi facultate capta ultro illius amore exarserit.

Aliam rationem, quae primo quidem adspectu tam speciosa videretur, ut nonnulli cupide eam arriperent viri docti arreptamque omnibus doctrinae atque ingenii opibus defendere ac sustinere studerent, iniit Adertus Théocr. p. 18 omisso vocabulo *ἔτι* suspicatus *Ἐχεναΐδα* ex iis, quae narravit Timaeus apud Parthen. Erot. 29: *τούτου [Δάφνιδος] λέγουσιν Ἐχεναΐδα Νύμφην ἐρασθεῖσαν παρακελεύσασθαι αὐτῷ γυναικὶ μὴ πλησιάζειν* [14]).

Coniugem Daphnidis Naida, hoc est Nympham fluvialem fuisse manifestum est; iam vero cum scholiastes Theocriti ad id. VII, 73 exhibeat haec: *Ξενίας ὄνομα κύριον. ὡς τὸ κενεᾶς* (sic Duebnerus; codd. *καινέας*, vulg *κενέας*, Reisk. *Κινέας*). *ἀπέδοσαν δὲ τῆς ἐκ Κρήτης ξένης. ἢ γράφεται τᾶς Ξάνθας* (*ξανθᾶς* vulg.). *Ἄλλως. Μία τῶν Νυμφῶν ἡ Ξενέα· ἢ ὄνομα κύριον. Μοῦσα ἦν ἡ Ξενέα* Nymphas et Musas persaepe easdem esse habendas demonstrant, quae adnotavit Hermannus l. l. p. 8 not. 29 [15]). Nympham omnino memorat Diod. IV, 84: *λέγουσι δὲ αὐτοῦ μίαν τῶν νυμφῶν ἐρασθεῖσαν προειπεῖν, ἐὰν ἄλλῃ τινὶ πλησιάσῃ, στερήσεσθαι τῆς*

---

[14]) Ut causae cumulate satisfaciam, amatam Daphnidis nominant Philargyrius ad Verg. Ecl. V, 20 Lycam, Servius ad ecl. VIII, 68 Nomiam, Sositheus in argum. id. VIII et schol. VIII, 93, ut supra iam commemoravimus, Thaliam. Servius l. c. refert aliquos narrasse Daphnidi amasiam Pipleam fuisse eumque hanc, quum a raptoribus ablata fuisset, omnibus fere orbis partibus quaeritasse et denique apud Lytiersen, Phrygiae regem, reperisse; Herculem tum effecisse ut Daphnidi Piplea redderetur et Lytiersae interfecti arcem acciperet. Jam cum ab Athen. X, 8 p. 415 B. laudetur Sosithei *Δάφνις ἢ Λιτυέρσης*, Hermannus l. l. p. 6 not. 23 hanc Pipleam opinatur ad Sositheum esse referendam; cf. Suid. s. v. *Σωσίθεος*.

[15]) Adde Paus. VIII, 4, 2: *συνοικῆσαι δὲ οὐ θνητῇ γυναικὶ αὐτόν, ἀλλὰ νύμφῃ Δρυάδι ἔλεγον· Δρυάδας γὰρ δὴ καὶ Ἐπιμηλιάδας, τὰς δὲ αὐτῶν ἐκάλουν Ναΐδας, καὶ Ὁμήρῳ γε ἐν τοῖς ἔπεσι Ναΐδων νυμφῶν μάλιστά ἐστι μνήμη.*

ὁράσεως. Aelianus denique Var. Hist. X, 18 refert *ἠράσθη αὐτοῦ νύμφη μία, καὶ ὡμίλησε καλῷ ὄντι καὶ νέῳ καὶ πρῶτον ὑπηνήτῃ, ἔνθα τοῦ χρόνου ἡ χαριεστάτη ἐστὶν ἥβη τῶν καλῶν μειρακίων, ὥς πού φησι καὶ Ὅμηρος.* Atqui Naidis uxoris per totum hoc primum idyllium nullum apparere vestigium supra commemoravimus [16]); puella vero, ut equidem sentio, *Ξενέα* erat idyllii septimi, una ex nymphis, quam Daphnis ubi amore eius exarsit, ceteris cum nymphis e Sicilia discessisse versus docent id. I, 66 — 69:

πᾶ ποκ' ἄρ' ἦσθ', ὅκα Δάφνις ἐτάκετο, πᾶ ποκα Νύμφαι;
ἢ κατὰ Πηνειῶ καλὰ τέμπεα; ἢ κατὰ Πίνδον;
οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἶχετ' Ἀνάπω,
οὐδ' Αἴτνας σκοπιάν, οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ.

Ac mirum profecto est, nos hodie post eximiam doctissimorum virorum operam atque laborem in hisce nihil magis sapere quam ante saecula multa scholiastas, qui ambiguitate quadam ne dicam perversitate etsi manifestam grammaticorum produnt ignorantiam et errorem et temeritatem adnotant haec: *ὅτι γοῦν Νύμφης ἦρα ὁ Δάφνις, ἡ δὲ Νύμφη ἀπεστρέφετο αὐτὸν διὰ τὴν πρὸς ἑτέρας γυναῖκας ὁμιλίαν. αἰνίσσεται ὅτι οὐδὲ αἱ λοιπαὶ ἐν Σικελίᾳ ἦσαν, ὅτε ὁ Δάφνις ἔθνησκεν;* deinde: *αἱ Νύμφαι τότε οὐκ ἦσαν περὶ Σικελίαν, ὅτε ὁ Δάφνις ἔπασχέ τι, ἴσως διὰ τὸ Νύμφης ἐρᾶν ὑπερηφανευούσης αὐτὸν αἰνισσόμενος ὡς οὐδὲ τῶν λοιπῶν αὐτόθι οὐσῶν,* denique *λέγει δὲ ἀπεῖναι τὰς Νύμφας, ἐπεὶ Νύμφης ἦρα ὁ Δάφνις, ἧς ἀπούσης μετὰ τῶν ἄλλων δηλονότι ἐτελεύτα. εἰ γὰρ παρῆν, οὐκ ἂν ἴσως ἀπέθανεν.* Versuum illorum sensus est procul dubio hic: nymphae si adfuissent, cum Daphnis amoris et desiderii flammis tabesceret et exstingueretur, auxilium ei tulissent. Sed de ipso *Ξενέας* vocabulo alii aliter censuerunt viri docti. Codices quidem nihil variant in scriptura, nisi quod duo exhibent *ξενίας*, id quod Meinekius nomen proprium agnoscens scribi mavult *Ξενίας* ex schol., qui ad id. VIII, 93: *Δάφνις — νύμφαν ἄκρηβος*

---

16) cf. Buecheler. in Jahnii annall. LXXXI. 1860 p. 358.

ἰων ἔτι παῖδα γᾶμεν haec adscripsit νύμφην τὴν ξενίαν λέγει, quocum cf. schol. ad id. I, 65. In maiuscula littera consentiunt et Ξενίας receperunt Meinekius in ed. III. Zieglerus, Paleyus. Lobeckius paralipp. p. 220 coniecit ὥς ποκ' Ἐρυξινέας, Buttmannus duas confundens puellas ex Parthenii Echenaide fecit Ἐχέναν in Friedem. et Seebod. miscell. crit. t. II, p. 41. Godofr. Hermannus in opusc. V, p. 81 τᾶς ξείνας, quo nomine regiam illam virginem significat, cuius amore Daphnis dictus est contabuisse. Daphnidem enim prima in adulescentia nymphae cuiusdam meruisse amorem, quae cum illi interdixisset, ne cum alia muliere rem haberet, illum diu servata fide a regis alicuius filia ebrium factum et ad ipsius consuetudinem pellectum esse hanc ob rem ab irata nympha oculis privatum tradunt Diod. Sic. IV, 84. Aelian. Var. hist. X, 18. Sil. Ital. XIV, 462 sqq. Quae omnia cum a Theocritei argumenti forma prorsus discrepent iure mireris quae ab aliis scriptoribus de Daphnide eiusque amoribus tradita fictave essent, quod nostrum in carmen transtulerit vir doctissimus [17]). Equidem valde dubito, quin in ξενέας vocabulo, ut vulgo legitur, lateat nomen proprium sed unice veram iniisse rationem Wordsworthius mihi videtur, qui appellativum tuetur comparans formam κενεός a κενός deflexam id. III, 20. XV, 95. XVI, 10. XXVII, 4, cui ἀδελφεάν ex Pind. Nem. VII, 4 addit C. Frid. Hermannus de Daphn. Th. p. 5 not. 18; similia sunt βρότεος, χρύσεος, δένδρεον. Puellam quae frustra Daphnin per montes silvasque quaerit intellegendam esse peregrinam h. e. incognitam iusto iure monuerunt Hermannus [18]), Koechlyus [19]), Buechelerus [20]), alii Nam si nomen proprium amplectimur, quae tandem puella eo nomine indicari possit?

---

[17]) Eundem in errorem incidisse videtur Klausenius in libro „Aeneas u. die Penaten" p. 528 et n. 938.

[18]) l. l. p. 6.

[19]) l. l. p. 31.

[20]) cf. not. 16.

Putaverunt viri docti nympham, quam Daphnidi adulescenti nupsisse supra exposuimus. At quomodo tandem, quum hanc esset adeptus, amore eius ac desiderio moreretur? Ac Doederlinus primum quum κώρα non virginem solam, sed etiam iuvenilem maritam significet (Eur. Orest. 1438. Hom. Il. VI, 247. cf. Eustath. p. 639, 50 et Th. Kind. in Jahnii annall. XCII, 1865 p. 341) [21]), Daphnidem statuit uxorem duxisse Naida id. VIII, 90 et illi se uni in omnem vitam dedisse iureiurando amatorio obstrictum nullius se post illam amore captum iri [22]). „Non coactus a virgine — sic pergit — id promiserat, ut est in vulgari fabula, sed suapte sponte et impetu animi et tanquam certus nec venustiorem illa inveniri usquam posse et ipsum puros a contactu aliarum oculos habiturum esse. id tam confidenter promiserat, ut ea ipsa confidentia numen Veneris laesisse videretur. Nam sive Venus sive Ἔρως amores quoscunque volunt quibus libet erga quoslibet commovere solent. Et ulciscitur Venus illam potentiae suae detrectationem, tanquam non obnoxium se Veneris arbitrio Daphnis iactaverit. Sauciatur Veneris sagillis, ut novo mox alius virginis amore laboret.“ Hanc fuisse Xeneam censet id. VII, 73 eamque a Naide illa distinguendam. Welckeri contra haec sunt verba: „Daphnis stirbt, weil er nicht wiedergeliebt wird und dies ist id. VII, 73 ausgedrückt. Die unglückliche liebe als strafe lässt ein vorhergehendes verhältniss voraussetzen, worin Daphnis die liebe hartnäckig zurückgestossen hatte; als blosse aeusserung kann das, was Aphrodite v. 97 ihm vorwirft, er habe geprahlt, dass er den Eros niederwerfen werde, nicht angenommen werden, weil eine blosse drohung der art zu arglos ist und weil dies vorhaben durch die liebe zur Xenea ia beschämt gewesen wäre. Daher liegt die vermuthung nicht fern, dass auch bei Theocrit Daphnis von der Nymphe ge-

21) Pariter apud Romanos puellam dici pro coniuge demonstrant Tac. Ann. XIV, 64 et alia exempla in Klotz. lex. l. l. s. v.

22) in lectt. Theocr. Erlang. 1843 p. 3 (repet. in eiusdem „reden u. aufs.“ ibd. 1847, p. 158).

liebt wurde. Sein vergehen gegen die Aphrodite muss darin bestanden haben, dass er entweder von der Nymphe sich losriss, welche Theocr. id. 8 ihm in der ersten iugend zum weibe giebt und fortan seinem eigenen herzen folgen wollte oder wahrscheinlicher, dass er von anfang an unempfindlich gegen die Echenais gewesen, in beiden fällen, dass er nachmals wagte ihren lockungen standhaften trotz entgegenzusetzen.“ Daphnis igitur nympham deseruit ac fidem fregit, quamobrem poenitentia captus fugientem persecutus est quumque gratias eius reconciliare non posset, periit. At nec poenitentem describit poeta sed contumacem potius Daphnidem nec talem, qui quaeritet puellam, sed qui quaeritetur ab illa. Quid enim sibi velint Priapi verba, quibus Daphnin alloquitur vss. 81 sqq.?

Celeberrimus est ille locus, quem plerique, ut video, editores sic exhibent:

Δάφνι τάλαν, τί τυ τακέαι; ἁ δέ τυ κώρα
πάσας ἀνὰ κράνας, πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται
ζάτεισ' · ἆ δύσερώς τις ἄγαν καὶ ἀμήχανος ἐσσί.

Et est sane magna lectionis in libris discrepantia, de qua vid. Ahrens tom. I. p. 10, sed non tam gravis, ut locus sanari non possit. Ac primum quidem pro *τί τυ* cum Ahrensio, Paleyo, aliis scribendum persuasum habeo *τί νυ*, quae particula, quanquam apud Theocritum quidem alibi non in usu est, et apud Homerum Il. I, 414 *τί νύ σ' ἔτρεφον αἰνὰ τεκοῦσα;* ibd. IV, 31. XVII, 469. et apud Theocriti invenitur imitatores Bionem X, 3 *τί νυ τόσσον ἀπήχθεο;* Moschum IV, 6. 7 *τί νυ δή με θεοὶ τόσον ἠτίμησαν ἀθάνατοι; τί νύ μ' ὧδε κακῇ γονέες τέκον αἴσῃ;* ibd. v. 62 *τί νύ τοι φρεσὶν ἔμπεσε τοῦτο πευκαλίμαις;* In sequentibus libri praebent alii *ἁ δέ τοι*, alii *ἁ δέ τι*, alii *ἁ δέ τε*, quam scripturam inter recentiores receperunt editores Meinekius, Paleyus: sed rectissime monuit Fritzschius ad h. v. neminem non Graecum hominem auditis verbis *ἁ δέ τε κώρα* de usitatissima dictione Homerica *δέ τε* cogitare debuisse. Atqui

cum scholiastes iam explicans *αὕτη δὲ ἡ κόρη ἀνὰ πᾶσαν τὴν κρήνην ζητοῦσα σε φέρεται* illud *τε* pro accusativo dorico et obiecto videatur accepisse, equidem *ἁ δέ τυ κώρα* genuinam fuisse arbitror lectionem. Pronomen autem personale inter articulum et cohaerens substantivum interpositum nihil habere offensionis docte et acute exposuit Kreusslerus[23]).

Nec minus mira exstat lectionis et interpretationis varietas primi vocabuli vs. 85 *ζατοῖσα, ζατοῖσ' ἆ, ζάτεισα. ξάτεισ' ἆ, ζατεῖ σε, ζατεῦσ' ἆ, ζατεῦσαι, ζάτει σφ' ἆ, ζάτευ δὴ ζάτευ' ἆ.* Nisi mihi chartae parcendum esset, lectorum delectandorum causa omnes has coniecturas hunc in locum propositas recenserem. Profecto esset opera iis non inutilis, quorum oculi librorum usu ita obtusi doctrinaeque farragine sic impediti sunt, ut simplicissima quaeque vel ante ipsos pedes posita videre nequeant Videamus igitur ipsi, quid de hoc loco statuendum sit. Jam vero, si codicum, quam exhibent formam, inter se comparamus *ΖΑΤΕΙΣΑ, ΖΑΤΕΥ͂Σ' ἈΑ, ΖΑΤΟΙ͂ΣΑ, ΖΑΤΟΙ͂Σ' ἈΑ* dubium esse non potest, quin *ζατεῖσ' ἆ* vera sit librorum scriptura. Sed ne quis hoc temere a nobis aut inique dictum esse obiiciat, iam paullo accuratius atque subtilius his de versibus quaeramus necesse erit; hac enim quaestione — sic equidem sentio — totius fabulae et argumentum et sententia continetur.

Ac primum quidem verbum *ζητεῖν* hic solum aptum esse et necessarium non scholiastes modo sed plurimi etiam quantum scio editores intellexerunt, quamquam fere pro suo quisque iudicio alia eiusdem verbi forma usus est[24]). Priapus

---

[23]) l. l. p. 11. cf. Krueger. gr. gr. II, 2. §. 50, 3. 3.

Gebauerus l. c. p. 106 suspicatus est legendum *ἁ δέ τοι ὥρα* i. e. tua cura, cum Vergilius ecl. X, 22. „tua cura Lycoris perque nives alium perque horrida castra secuta est" imitari videatur Theocritum verbaque eo modo intellegenda, quo nos proverbio usi dicamus: dein mädchen läuft davon über alle berge; sed cf. Koechlyum l. l. p. 29 et Fritzsch. ad v. 83.

[24]) Scholiastes exhibet *πάντῃ δὲ πλανᾶται ζητοῦσα αὐτόν. εἰρωνευόμενος δὲ λέγει πρὸς αὐτόν· αὐτὸς γὰρ μᾶλλον ἐζήτει. διὰ τοῦτο καὶ δύσερως.*

enim — omnia autem eius verba esse inde a v. 82 usque ad v. 91 mox videbimus — luctum morientis Daphnidis solamine levare tentans, quum amor eius tam tristis et flebilis mirus ipsi videatur, eum alloquitur: „Daphni miser, quidnam ita tabescis? non est tam aspera puella, ut tu credis; immo desiderio flagrans fertur ad omnes fontes, per omnia nemora te quaerens.“ Participium vero ζατεῦσα vel ζατοῖσα quum a nomine κώρα et pronomine τὺ praesertim intercedente versu intercalari longius distet arctamque verborum interrumpat cohaerentiam, offendere sane potest. Hinc ut illud certe incommodum tollatur, statim versum intercalarem nimis audacter ac temere damnaverunt et eiecerunt interpretes. Omnes autem codices quum post verba ποσσὶ φορεῖται versum intercalarem exhibeant, deinde librarii etiamsi eum modo inseruerint modo ad arbitrium omiserint, quum post quaternos versus poni necesse sit intercalarem, denique Priapi oratio quod post v. 88 iterum intercalari divellatur nos quippe qui prorsus quid hunc versum suspectum reddat, non videamus, totius carminis ne forma strophica arte excellens disturbetur versum intercalarem hoc loco tuentes et Meinekium secuti in fine versus 83 puncto posito scribimus ζατεῖσ᾽ · ἆ[25]). Sic sensus exsistit quam optimus. Priapus enim postquam iam in antecedenti stropha dixit ἁ δ᾽ ἔτι κώρα — φορεῖται, addit his quasi rem etiam maioris momenti ζατεῖ σε i. e. puella, quam evanuisse opinaris, neutiquam evanuit; immo ipsa te quaerit, quum tuum sit eam ubique quaerere; tu vero hic iaces miser et tabescens et tantopere amore deperditus, ut nihil agas teque puellamque morti devoveas.

Brevi perstringam ceteras sententias ab interpretibus hoc loco propositas. Atque Godofr. Hermannus in praef. Soph. Schaef. a. 1810 p. XII. leni usus mutatione scribere mavult ζάτευ᾽ ἆ h. e. quin quaere eam!, quam emendationem quam-

---

[25]) Eandem fere iniit rationem Adrianus in progr. gymn. Gr.-Glogau. 1871. p. 22.

vis ingeniosam quum scholiastae et codices omnes uno consensu in maxima lectionum varietate litterulam σ exhibeant et Priapi orationem obscurare ac detorquere manifestum est, libere profiteor displicere.

Koechlyi deinde ratio argumentis nititur primo adspectu haud contemnendis quae ut paullo accuratius examinentur necesse est. Sed ipsum audiamus dicentem: „scit enim (Priapus) ut et Mercurius Daphnidem amore laborare, cuius cum salacissimus hortorum custos unum tantummodo sensum habeat, non potest non et mirari et indignari, quod Daphnis, cum „quot coelum stellas habeat tot sylva puellas“, otiose delitescat nec eas venari audeat, misellus amator atque omnis consilii expers. Itaque cavillabundus eum dici quidem bubulcum sed similem esse iactat caprario, qui utpote infimae plebeculae homo, sive capellas a capro iniri sive ipsas puellas ridendo lascivire videat, libidine rumpatur, omni has quidem tentandi et subigendi audacia derelictus. Hanc esse debere Priapeae orationis sententiam iam dudum, opinor, interpretes intellexissent, nisi fatalis ille in omnibus codicibus legeretur singularis ἅ δέ τε ̓κώρα πᾶσας ἀνὰ κράνας, πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται ζατεῦσ', quem sane pronum erat de una aut amasia aut uxore Daphnidis intelligere. Ego simplicissime plurales reduxi, ut statim legenti, quid sibi velit vappa Deus, quam apertissime pateret, similiter atque in Priap. 33. Fateor tamen Theocritum fortasse ad Sophoclei illius exemplum τὸν λεύκασπιν Ἀπιόθεν φῶτα βάντα singularem collectivo sensu posuisse, quod si probatur sufficit scribere ἅδ' ἴδε κώρα.“ Scribendum igitur censuit Koechlyus ἠνίδε κῶραι — φορεῦνται · ζάτει σφ' · eumque secutus et ζάτει σφ' et ἠνίδε quum a librorum scriptura aliquanto recedant, ἠνίδε autem alias nonnisi de iis rebus dicatur quae in conspectu sint, proposuit Zetzschius αἵ δέ τε κῶραι — φορεῦνται ζατεῦσαι[26]).

---

[26]) l. c. p. 4 not.

Hos viros doctos orationem Priapi perperam intellexisse mihi persuasissimum est nec dubito quin quae Lennepius iam de tota hac carminis parte prudenter disseruit [27]), si religiose ac diligenter diiudicassent, ab emendationibus huiusmodi abstinuissent. Venit Priapus ad Daphnin amore misere contabescentem consolandique ipsum animo interrogat, qui fiat, ut — *ὁ Μοίσαις φίλος ἀνήρ, ὁ οὐ Νύμφαισιν ἀπεχθής* — tam subito vehementissimo amore deperiat, praesertim cum puella illa cuius amore flagret, per memora et fontes amoris stimulis agitata feratur, ut amatum invisat adulescentem, atque ipsa eum quaerat. Et profecto summo iure Priapus quippe veram doloris et adflictationis causam nesciens Daphnin *δυσέρωτα* et *ἀμήχανον* adulescentem adpellat i. e. adulescentem, quem infelicem reddiderit amor, qui adeo consilii sit inops, ut prorsus nesciat, quid agat, quomodo amoris vehementiae medeatur. Ac merito mendacio usus eum adloquitur: Daphni miser, quid tu tabescis? puella quam deperis ultro iam te quaerit libidine flagrans; omnes per fontes, omnes per silvas pedibus fertur, ut te invisat. Ah te perdite amantem et obluctantem amori. Bubulcus vero vocabaris, nunc autem caprario es similis i. e. iustus bubulcus rideret cum virginibus ac saltaret, tu vero oculis tabescis, quod non cum illis choreas ducis. Priapum ex suis quidem manifestum est moribus suoque ingenio loqui nec aliter loqui posse. At cui tandem persuadebit Koechlyus, vir doctissimus, hac de Lennepii ratione iudicans ita: „quod (benevolum Priapi mendacium) quomodo aut lascivi dei naturae aut sequenti cavillationi conveniat, nemo facile dixerit"? Priapus enim, qui quum unius puellae amorem altiusque desiderium praeter libidinem non norit, in eo, quem parato amore perfrui nolentem nihilominus tabescere amore videt, nihil nisi ipsam libidinis intemperantiam atque inconstantiam arguere potest [28]); tantum vero Daphnin abesse, ut

[27]) in Comment. Inst. Belg. 1820. vol. II. p. 176.
[28]) C. Fr. Hermannus de Daphn. Theocr. p. 14.

maxima quum amandi occasio sibi esset oblata, saltet cum puellis, ut nihil agat atque tabescat amore: tum Priapum vero nonnisi cavillabundum accessisse ad Daphnin ludicraque oratione misere amantis castigare stultitiam, cum acerbissimo suo dolore tabescens morti iam propinquus esset, vel voluisse tali castigatione Daphnin etiam acrius excitare ad vim puellae adhibendam, ut Gebauerus l. c. p. 108 statuit, id prorsus nego mihi quidem esse perspicuum. Atque denique quis illis interpretum coniecturis, qui notionem quaerendi ab hoc loco alienam esse ac verbum requiri existimant, quod ad Daphnidis condicionem spectet, dico Helmsterhusii et Boissonadii, quos sequuntur ex novissimis interpretibus Ribbeckius[29]), C. Fr. Hermannus[30]) *ζαλοῖς; ἆ* vel Ahrensii *ζαλῶ σ', ἆ*[31]) ironico dictum sensu pro *οἰκτείρω σε* scribentium iustissima dubitatione non interposita possit adstipulari, quum et longius a librorum vestigiis recedant et quae sequuntur verba *ἆ δύσερώς τις ἄγαν καὶ ἀμήχανος ἐσσί* huic notioni minime videantur convenire[32]).

Negotia vero facessivit haud paucis et editoribus et interpretibus tota oratio ipsa Priapi. Vehementissime enim quum etiamnunc dubitetur de singulis carminis membris seu strophis ad quandam aequabilitatis legem distribuendis, de strophica huius cantilenae dispositione paucis disserendum erit[33]). Et strophis quidem compositum esse carmen Thyr-

---

29) in Mus. Rhen. XVII. 1862 p. 545.

30) l. l. p. 14. not. 41. — Meinekius mavult *ζαλοῖσ'* eo sensu acceptum quo Cyclops id. VI, 27 dicit *ζαλοῖ με καὶ τάκεται.*

31) non *ζαλῶ σ' ἆ*, ut praebet Hermannus l. c.

32) Vix dignus est, qui commemoretur Freytagius qui nimia audacia contra omnium codicum auctoritatem mutavit *Ἆ δείλ', ἆ* — in Theocr. carm. I. lusus otiosi (Misen. 1864), p. 9.

33) cf. quae hac de quaestione disputavere Hauptius in Mus. Rhen. IV. 1846, p. 260 sq. Arm. Koechlyus l. l. p. 31 sq., adversus quem Buechelerus in Jahnii annall. LXXXI. 1860, p. 357. Ribbeckius l. c. p. 543 sq. Gebauerus l. c. p. 113 sq. Goebbel in progr.

sidis vs. 64 — 142 versuum intercalarium indicio neminem latere potest; strophae vero illae cum pluribus locis parum sibi responderent, in contrarias abierunt partes quos dixi viri docti. Tres in partes secundum et argumentum et formam hoc carmen esse dividendum, quarum altera pars v. 95 incipiat, v. 115 tertia Mauritius Hauptius docte et acute exposuit, quem sequuntur Koechlyus, Buechelerus, Adrianus. Quae divisio, quantum equidem sentio, argumentis nititur haud contemnendis, quorum satis grave illud est, quod tres exstant versus intercalares hi:

ἄρχετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς,
ἄρχετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι, πάλιν ἄρχετ' ἀοιδᾶς,
λήγετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.

Atqui vero etiamsi ephymniorum speciem in hoc carmine esse perspicuam omnes consentiant, tamen de positione valde discrepant neque satis inter eos constat, ubi in priori ephymnio *φίλαι*, ubi *πάλιν* scribendum sit. Alii quidem editores ubique receperunt *φίλαι*, alii ephymnia ex arbitrio posuerunt quasi in libris non exstarent. Ac primum quidem locos apponere liceat, in quibus codices *πάλιν* exhibent, qua in re siglis numerisque Zieglerianis utor editionis a. 1867:

v. 73: *πάλιν* k. p. *φίλαι πάλιν*. e.
v. 76: *πάλιν* k. *φίλαι πάλιν* e.
v. 79: *πάλιν* e. p. k. Med.
v. 84: *πάλιν* e. p. k.
v. 89: *πάλιν* p. k.
v. 94, 99, 104, 114: *πάλιν* p.
v. 122: *πάλιν* p. Med.

In veteribus deinde scholiis ad v. 84 haec sunt adnotata: *ἄρχετε βουκολικᾶς Μῶσαι — γράφεται Μοῖσαι — πάλιν: τὸ πάλιν ἐξ ὑποστροφῆς ἀρχὴν ποιούμενός φησιν· αἱ παραγραφαὶ δὲ συστέλλουσι τὰς ᾠδάς. τὸ δὲ ἄρχετε βουκολικᾶς λέγεται ἐπῳδοῦ τάξιν ἔχειν.* Scholiastes igitur primum

gymn. Warendorf. 1862, p. 10. Adrianus l. c. Kreusslerus p. 17. R. Peiper in Jahnii annall. LXXXIX. (1864) p. 449 sq.

hoc versu vel v. 94, cui in schol. cod. Ambros. 222 (p. 15 ed. Ziegler) verba illa adscripta sunt, scriptum legit *πάλιν*; de ipsis autem distribuendis verbis *φίλαι* et *πάλιν* conferas, quoniam alia est huius dissertationis ratio atque primarius finis, qui hac de quaestione disputaverunt Naekium in animadv. in Val. Catonis Diras p. 25, Goebbel. l. c. p. 12, Kreussl. l. l. p. 18, Adrian. l. c. p. 3. Horum autem criticorum plerique ut stropharum efficerent responsionem et transponendos esse vel etiam delendos versus nimis audacter iudicaverunt. Ahrensius enim vss. 77, 78, 79 suppositicios arbitratus argumento usus est satis levi atque absurdo hoce: „versus 77 — 79, quos eieci, scholiastae non legerunt, qui ad v. 92 Mercurium non commemorant“ [34]). Sed ad v. 77 vetera scholia explicant ita: *Ἦνθ' Ἑρμᾶς: πρῶτος Ἑρμῆς ἦλθεν,* (*ἢ ὡς νόμιος,*) *ἢ ὡς φίλος Δάφνιδος, ἢ ὡς ἐραστής* et ad v. 92: *Τὼς δ' οὐδὲν ποτελέξαθ' ὁ βουκόλος: πρὸς τούτους δὲ οὕστινας ἄνωθεν εἴπομεν, ἤτοι τοὺς βούτας, τοὺς ποιμένας καὶ τοὺς αἰπόλους, τὸν Πρίαπον καὶ τοὺς λοιποὺς οὐδέν τι ἐφθέγξατο ὁ βουκόλος.* Postquam *τοὺς ποιμένας καὶ τοὺς αἰπόλους, τὸν Πρίαπον* enumeravit scholiasta, tantum abfuit, ut pergeret *τὸν Ἑρμῆν* vel primum eum nominaret, ut parum accurate atque universe *τοὺς λοιποὺς* etiam venisse diceret. Eadem utuntur levitate schol. recentt. ad v. 92: *Τὼς δ' οὐδὲν: πρὸς τούτους, ἤγουν τοὺς νομεῖς καὶ τὸν Πρίαπον.* Huc accedit, quod Vergilius, quem in carminibus poetas Graecos vel imitatum esse vel aemulatum inter omnes constat, in ecloga X, quam a poeta Romano ex imitatione primi Theocritei idyllii expressam esse demonstravit Gevers in libello not. 5 citato, quum Apollinem, Silvanum, Panem facit venientes, ad hunc Graeci poetae locum evidenter respexit [35]). Atque quid tandem est, quod hos versus red-

---

34) Quo praeeunte Hartungius versus cancellis circumscripsit.

35) Quae Th. Wagnerus in Jahnii annall. CXI. 1865, p. 773 contra hunc attulit, per se levia sunt nec ullam habent probabilitatis speciem.

dat suspectos? At vero Mercurium ne accedentem faciamus ut patrem, qualem ex auctoritate Parthenii et Diodori depinxerunt Doederlinus, Fritzschius, alii, sed ut principem deorum agrestium monuerunt Gebauerus, Koechlyus, Ameisius [36]). Mercurium etiam apud alios scriptores haberi pastorum deum probant quae congessit Goebbelius l. c. p. 8.

Deinde Ahrensius v. 86 eiecit, quippe qui in Vaticano aliquo desit a prima manu ipsiusque turbet dispositionem strophicam. Vir doctus enim versus 86—91 in duas distribuit strophas retento versu intercalari; quae ratio falsissima mihi idcirco videtur, quod eiecto versu 86 vss. 87 et 88, qui ex illius argumento priorem efficiunt stropham, arctissime cohaerent cum versibus 90 et 91, quorum sunt, ut aiunt in logicis, propositio; rectius auctoribus Hauptio et Meinekio v. 89 post v. 91 ponendus erit. Aliam ingressus est rationem eamque magis etiam distortam Doederlinus, qui versus 86—91 statim post v. 78 transponendos esse coniecit, ita ut Mercurio adscribantur, „quem, ut patrem adversus filium graviorem monitoris personam sumere et continentiam ei commendare fas erat“ [37]). At primum Mercurium patrem esse Daphnidis poeta noster prorsus ignorat, quod saepius iam monuimus ac quaestio illa v. 78 *τίς τυ κατατρύχει; τίνος ὦγαθὲ τόσσον ἐρᾶσαι;* melius convenit primario pastorum deo, quam patri; verba deinde Doederlini, quibus opinionem confirmat „multo magis miror, inquit, cur mox Priapus tam gravi ac severa oratione utatur, ea praesertim, quae Priapeo ingenio dissimillima est, salacitatis quippe Daphnidem Priapus, salacitatis ille magister, incusat! inconstantiam libidinis in Daphnide increpat!“ et per se falsa sunt et partim iam

---

[36]) Ameis. in Jahnii annall. XLV. 1845, p. 109. — Buechelerus l. l. p. 358 profert ita: Hermes steigt von der Alp herab; ob wir ihn uns als vater des Daphnis oder als den obersten hirtengott zu denken haben, lässt sich nicht ermitteln (sic?); wie beides im wesen des mythos unzertrennlich verwachsen ist, so hat es der dichter wohl absichtlich unbestimmt gelassen.

[37]) l. c. p. 159. 160.

refutata iis quae data opera de Priapi moribus ingenioque disputavimus [38]).

Nimis audacter deinde Ahrensius et Fritzschius versus 92 et 93 damnaverunt, ille quod stropharum quoque binorum versuum interrumpatur concinnitas, hic, quia verba nec verti nec explicari posse existimabat. Inter v. 92 et 100 intercedere relationem quandam eosque sibi opponi manifestum est. Daphnis autem, cur et Mercurio et pastoribus et Priapo nihil responderit, non constat. Koechlyus causam silentii a Daphnide acti p. 34 his verbis indicat: „Daphnis et benevolis ceterorum quaestionibus et lascivae Priapi cavillationi silentium opponit, ne amare sese aut confiteatur, quo victum se confessus esset, aut neget, quo turpiter mentitus esset.“ Fritzschius in ed. mai. ad h. v. suspicatur Daphnidem propterea ne verbum quidem respondere, quod contemnat vulgus pastorum et Panis lasciva oratione irritatus magis sit quam levatus. Sine dubio Daphnis iam absumptus et propemodum moribundus nihil iis respondit, quia causam doloris culpamque tribuere illis non poterat; sed simulatque invisa adest Cypris, odii vis acerbissimi colligit quidquid superest virium: erigitur, exardescit, mordet, pungit illam turpissimis opprobriis.

Verba quae sequuntur

τὸν αὑτῶ
ἄνυε πικρὸν ἔρωτα, καὶ ἐς τέλος ἄνυε μοίρας

diversissimo modo ab interpretibus enarrata sunt. Solus is, qui non ignorat, quot et quam absurdae opiniones saepissime in rebus simplicissimis a criticis excogitatae sint, fieri potuisse intelleget, ut tot, quot exstant, in hunc locum pravissimae explicandi rationes promulgarentur. Koechlyus locum sic vertit et explicavit p. 34 sq.: „amorem ad mortem

[38]) cf praeterea C. Fr. Hermann. l. l. p. 14. Ameis. l. c. p. 109.

usque consummavit h. e. tam diu silens amorem continet, usque dum moritur: *ἄνυε πικρὸν ἔρωτα* pertinet ad illam actionis passivae figuram, quam et olim in Jahnii annall. a. 1837. vol. V. p. 379 — 383 et nuper in prolegomen. ad Quint. p. XCII sq. illustravi ne huius quidem loci immemor." Cf. quae contra hanc explicandi rationem protulit Gebauerus l. c. p. 109; sed parum recte hic vir doctus ac de Theocriti carminibus et explicandis et emendandis meritissimus opinatur *ἄνυε* imperfectum significare „studebat amorem exstinguere vel reprimere", quae sententia longissime ab hoc loco abest. Ne translationes quidem, quot novi, germanicae loci sententiam plane reddere videntur, veluti Hartungii:

sondern verwand sein
bitteres leiden, verwand's auch bis zur stunde des todes.

Lud. Schmidtii:

still trug er sein leiden,
trug es duldenden Sinns und trugs bis zum ende des lebens

Eberzii:

sondern im innern
nährt er die schmerzliche gluth und er nährt sie zum ende des schicksals.

Vetus scholiasta sic explicat: *ἀλλὰ τὸν αὐτοῦ ἔρωτα ἐπέραινε καὶ διήνυε μέχρι καὶ τῆς μοίρας*, recentior *ἀλλὰ τὸν ἑαυτοῦ ἐπλήρου ἀλγεινὸν ἔρωτα καὶ εἰς τὸ τέλος ἤνυεν, ἤγουν ἔσπευδε, τὸ τῆς Μοίρας, ἤγουν ὃ ἡ Μοῖρα αὐτῷ ἀπεκλήρωσεν*. Verbum igitur *ἀνύειν* significat extollere, in die höhe bringen, ut apud Theocr. VII, 6: *Βούρινναν ὃς ἐκ ποδὸς ἄνυσε κράναν*, tum ad finem ducere, perficere, protrahere. Cf. id. VII, 10: *κοὔπω τὰν μεσάταν ὁδὸν ἄνομες* et Meinekium ad h. l., XVI, 19: *κοὔπω τὸν μέσατον δρόμον ἄνυε ἅρμα Σελάνας*. Sententia loci, quocum comparari potest simillimus apud Soph. Ai. 925 *ἔμελλες ἐξανύσσειν κακὰν μοῖραν ἀπειρεσίων πόνων* est: Daphnis pertulit amorem acerbum usque ad finem

fati i. e. eum, quem fatum vitae ejus constituerat h. e. ad mortem.

Postquam Daphnidem, qui acerbissimo suo dolore tabescens morti iam propinquus erat, frustra adlocuti sunt et Mercurius et pastores et Priapus nihilque tulerunt responsi, iam denique ridens accessit etiam Venus: sed qui qualisque risus ille fuerit, dubium est atque incertum hodie ut quam maxime. E viris doctis, qui hac de re disseruerunt novissimos tantum adtulisse satis est Doederlinum[39]), Kreusslerum[40]), Gebauerum[41]), Zetzschium[42]).

Exhibentur versus 95 et 96 in libris ita:

Ἦνθέ γε μὰν ἁδεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα,
Λάθρη μὲν γελάοισα, βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα.

Constant consentiensque haec codicum est scriptura; levis enim et vix notabilis videtur varietas unius vocabuli *λάθρη* (sic cod. Ambrosianus) pro quo alii *λάθρα* praebent, alii *λάθρια.*

Qua tota de re tam caute et perspicue quam docte et acute quum iudicasse persuasum mihi habeam Zetzschium, virum de Theocrito optime meritum, in illius crisi acquiescendum existimo, dum probabiliorem videro allatam.

Dubitatur autem vehementissime etiamnunc ab interpretibus et de verborum nexu et sententia, quam modo mente nullis opinionibus praeoccupata atque abiectis alienis de Daphnide fabulis ex solius poetae verbis investigare nobis propositum sit, optimam et aptissimam exsistere videbimus.

Ac primum quidem ordinem verborum v. 95 hunc esse *ἦνθέ γε μὰν ἁ Κύπρις ἁδεῖα καὶ γελάοισα* intellexit Huschkius in F. A. Wolfii annal. litt. I. p. 176 eumque secuti sunt Meinekius, Paleyus, Fritzschius in edit. min. (1857), quod

39) l. c. p. 161.
40) in observatt. in Theocr. carm. I. (Misen. 1863) p. 13 sq.
41) l. c. p. 109.
42) in progr. not. 6 cit.

tamen relexit in ed. mai. 1870.[43]), qua in re autem caveas, ne contractione seu chiasmo Theocritum credas usum neve ante γελάοισα particulam καὶ esse omissam statuas ita ut verba sic se haberent plene ἦνθέ γε μὰν ἀδεῖα ἁ Κύπρις καὶ ἦνθε γελάοισα.

Atqui docti viri ad unum fere omnes Venerem faciunt hilarem accedere ad Daphnidem exsultantemque gaudio ob victoriam de illo reportatam in risum effundi, qua animi laetitiam expromat vel condicionem eius miseram ludificetur. Sed quis est, qui poetam neget invictum voluisse Daphnidem et ne tristissimo quidem fato fractum exhibere? Nam quod quaerit dea, num iam se ab Amore victum esse fateatur vs. 97, 98:

τύ θην τὸν Ἔρωτα κατεύχεο, Δάφνι, λυγίζειν·
ἦ ῥ' οὐκ αὐτὸς Ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέοιο λυγίχθης;

ac vel in Orco invictum se fore praedicat Daphnis a Veneris potentia, quid est, quod ad rem intellegendam absit, quin dilucidiorem dare possimus expositionem? Quodsi Daphnis summa cum pertinacia et fiducia etiam post mortem se κακὸν ἄλγος Ἔρωτι fore minatur, nonne Venerem profecto non vicisse sed victam esse statuendum est?

Quam enim aliquot viri docti exque his Doederlinus[44]) hariolantur victoriam, ut „Daphnis in pugna adversus Venerem animo quidem victus sit, quoniam ad affectus animi Veneris tela diriguntur, sed idem virtute, fide, constantia invictus sit" et quod „exsultaverit Venus apud se, quod Daphnidem victum credebat, spe fore ut ipsius opem ad potiundum amorem et explendam cupiditatem et recuperandam salutem implorare, quam misere perire mallet. Hoc si fieret, plane vicisset", et subtiliore distinctione niti, quam quae Theocriteae aetatis pastoribus tribuenda sit cum C. Fr. Hermanno censeamus necesse est et Zetzschio assentiaris, iusto

[43]) quod huic constructioni illudit eamque impugnavit Hartungius p. 351 haud immeritam tulit Gebaueri reprehensionem l. c. p. 109.

[44]) l. c. p. 159, 161.

iure iudicanti esse illa quidem obscuriora animo victum esse qui invictus sit virtute, fide, constantia, quae etiam animi sunt; hoc autem manifestum esse, qui non plane vicerit, eum omnino non vicisse neque causam ei esse laetandi atque exsultandi victoria [45]).

Omittamus igitur causam fuisse laetitiae Veneri victoriam de Daphnide reportatam ac videamus qualem Theocritus Venerem sibi fingere et voluerit et potuerit: nam imaginem deae, quam exprimere studuerunt et Greverus p. 18 scribens „die göttin kann sich das vergnügen nicht versagen, sich an den qualen des verliebten zu weiden und kommt mit den göttern, deren verwandter Daphnis durch seinen vater Hermes ist, den jüngling zu necken", et Buechelerus l. c. p. 361: „die göttin fragt voll schadenfreude etc." ac similiter Hartungius p. 352 longe esse diversam ab ea, quam poeta descripsit, statim videbimus.

Jam ex verbis, quae v. 138 leguntur *τὸν δ' Ἀφροδίτα ἤθελ' ἀνορθῶσαι* [46]) hoc efficitur certissimum Venerem, quum restituere in salutem vitamque Daphnidem vellet, non inimicam ei neque infestam, sed benigno atque benevolo erga eum animo fuisse atque hanc misericordiam benevolentiamque non tum demum potuisse in Veneris pectore innasci, quum ipsa a Daphnide gravissimis conviciis laesa esset, sed antea iam in ea insedisse tantam tamque firmam, ut ne his quidem maledictis exstingui aut imminui posset. Etenim ad

---

45) l. c. p. 7 not.

46) *ἀνορθοῦν* autem verbum cum proprie significet erigere vel allevare (exempla ap. Fritzsch. ad h. l.) hoc loco nihil aliud sibi vult nisi reddere salutem Daphnidi et eum quasi in integrum restituere. Sic recte docuit Zetzschius l. l. p. 10 not Id autem repetii propter Ameisium, qui vertit „eum volebat in vitam revocare." Quod Car. Fr. Hermannus in eph. doct. Gotting. 1845, n. 107 p. 1072 interpretatus est „dieses aufrichten kann doch nur den Sinn haben, dass Aphrodite gleichsam den zauber, den sie auf ihn gelegt hat, lösen will" refutavit Ameisius in Jahnii annall. XV. 1845, p. 108 not.

Daphnidem qui adeunt et pastores et Mercurius et Priapus quum moesti sollicitique animi sensus blandis verbis declarantes eos venisse nemo infitietur, quis tandem Venerem diverso a ceteris animo accedere arbitretur? Nonne qua utitur poeta verbi forma ἦνθ' Ἑρμᾶς — ἦνθον τοὶ βῶται — ἦνθ' ὁ Πρίηπος — ἦνθε καὶ ὁ Κύπρις consulto ac prudenter adhibita esse videtur, ut significet non alium alia venisse voluntate, sed eodem omnes animi impetu ductos ad Daphnin accessisse? Verbum igitur ἁδεῖα tantum abest, ut cum plerisque criticis deae appositum esse ornandi causa statuamus, ita ut sit suavis sive dulcis Venus, quae esset nec elegans oratio nec sana pro ἁ ἁδεῖα Κύπρις, ut cum verbo ἦνθε iungendum atque idcirco prae ceteris verbis tam insignem ei sedem censeamus esse datam, quo facilius deae, quae mens et qui animus esset venientis cognosci possit[47]. Atqui γελάοισα verbum v. 95 quasi per epexegesin poeta addit quo benevolentiam exprimat, quae nec iustior edi possit ac plenior nisi risu eoque qui ex ore, fronte, oculis, ex toto denique corporis habitu animi prodat laetitiam.

Quae quidem sequuntur verba λάθρια μὲν γελάοισα βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα ea, quam dedimus explicandi ratione quomodo ferri possint, breviter inquiramus necesse est. Ac primum λάθρια γελάοισα, nonnulli viri docti recte sibi conscii originem vocis λάθρια cohaerere cum verbo λανθάνειν quod interpretantur „clam vel occulte, recte ridens" h. e. ita, ut alii non animadverterent eam ridere, sententiam exsistere ineptissimam rectissime sensit Kreusslerus, cuius verba sunt haec: „Quod quid est aliud quam venit dulcis, at non dulcis, ridens, at non ridens?"

Alii deinde latendi notionem, quae proprie inest in vocabulo λάθρια, deposuerunt eamque in sententiam verba λάθρια γελάοισα transtulerunt, ut intellegeretur risus clande-

---

[47]) De duplici verbi ἡδύς significatione et subiectiva et obiectiva monuit Zetzschius l. c. p. 12 not., ubi et exempla habes allata.

stinus i. e. risus, qui non est plenus ac purus, sed cum malignitate quadam coniunctus aut tristitiae quodam sensu temperatus [48]), vel λάθρια γελᾶν significare putant „irridere.“ At vero hic insolens ac translatus vocis λάθρια usus neque exemplis quum possit comprobari nec rerum personarumque conveniat condicioni, cui tandem persuadebitur poetam subtilissimum alias et elegantissimum eum adhibuisse?

Has difficultates ut tollerent dici non potest quam varie misereque se torserint interpretes. Uno liceat instar multorum exemplo uti. Frankius enim in Jahnii annall. 1831, fasc. 3. „laeta, inquit, ob victoriam reportatam accedebat Venus, sed ita sibi temperabat, ut laetitiam non nisi amarulento risu, quod (sic!) vix sentiretur, proderet“

Quamobrem Ahrensius levissima litterarum mutatione hanc proposuit coniecturam et in textum recepit λαδρὰ μὲν ἐκγελόωσα [49]) i. e. χλευαστικῶς et Ribbeckius in Mus. Rhen. XVII. 1862, p. 548 λαιδρὴ μὲν γελάοισα i. e. ἀναιδής, quod utrumque quum nec cum ea, qualem Theocritus sibi finxerit, imagine Veneris neque sequentibus cum verbis βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα ulla ratione conveniat, recte repudiavit Kreusslerus p. 14, qui ipse Theocritum scripsisse suspicatur ἄσυχα μὲν γελάοισα vel ἠρέμα, ἦκαλα, ἀτρέμα μ. γ. interpretans „leniter ridens.“ Quae quidem coniectura, quia sententiam exhibet, quae non multum differat ab risu illo clandestino, quem non esse risum vidimus, difficultates, quibus vulgatam lectionem premi scimus, haud quaquam tollit ac removet. Godofr. Hermannus denique in Zimmerm. annall. 1837, p. 226: λάθρια mutavit in ἁδέα [50]), quod laudat Frey-

48) cf. supra p. 29.
et Wuestemannum ad. v. 95: hic vero risus moestitiae quodam sensu temperatus est; praevidebat enim fore, ut Daphnis in hoc certamine pereat. — Doederlinus vertit occulte h. e. animo ridere, Ameisius sub dole ridens, alii intra labia vel animum ridere.

49) Sic legitur in bucoll. gr. edit., non, ut Meinekius p. 192 ed. III. vult. λάδρ' ἤνθεν γελόωσα.

50) Alii auctorem nominant huius coniecturae Valkenarium vel Ahlwardtum.

tagius l. c. p. 11 atque in textum receperunt Hartungius, Fritzschius (in edit. mai.), Koechlyus l. l. p. 35. Negaverunt quidem graece ἡδέα γελᾶν plurali numero dici posse pro ἡδὺ γελᾶν Frid. Jacobsius ad Anth. Pal. p. 723, Lobeckius ad Soph. Ai. p. 246, Meinekius in ed. II., Freytagius l. c., Kreusslerus l. l. p. 14, at sic potuisse dicere Graecos contenderunt Godofr. Hermannus l. c. Theod. Bergkius in Zimmerm. annall. 1837, p. 444. Apud Homerum aliquoties legitur ἡδὺ γελᾶν cf. Il. II, 270. XI, 378 vel similia, quae contulit Kreusslerus l. c.; plurali autem numero Theocritus usus est his dictionibus VI, 9: ἁδέα συρίζειν, VII, 48: ἐτώσια μυχθίζειν, XXIII, 34: ἁλμυρὰ κλαίειν, XVI, 44: αἰόλα φωνεῖν, de aliis cf. Fritzsch. ad h. v. et Kreusslerum. Equidem ἁδέα legendum esse persuasum mihi habeo.

Jam restat, ut reliqua huius versus verba contemplemur βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα, quae Fritzschius in ed. min. a. sic explicat: „Cypris stellte sich erzürnt, obwohl sie in der that den Daphnis bedauerte", quod haud scio an nemini sit probaturus. Quaeritur autem ἀνέχειν verbum quid hoc loco sibi velit; duplici enim ratione explicatur ab interpretibus aut cum Valckenario, quem sequuntur Doederlinus l. c. p 161 sq. Gebauerus l. c. p. 110 „in altum attollere i. e ostentare, prae se ferre", aut in contraria vi „reprimere, cohibere." Proprio quidem sensu usurpatur de tollendis et erigendis manibus, pedibus, cervicibus, oculis etc. atque translatum quoque ad ea, quae animo percipiuntur significat „procreare, excitare" aut „alere, sustentare" aut „magni facere, venerari"; de contraria vero verbi notione cohibendi vel reprimendi, etiamsi a Godofr. Hermanno ad Soph. Oed. Col. 674 (680) videtur esse commendata, valde dubito, quum apud Graecos scriptores dictiones quidem ut ἀνέχειν ἵππους, ἀνέχειν ναῦς et similia exemplis possint comprobari, minime autem ἀνέχειν φθόνον, μῆνιν vel alia. Itaque postquam verbo ἀνέχειν opem laboranti loco ferre non potuerunt viri docti, mutando vulnus curare aggressi sunt

atque Wartono praeeunte Ahrensius scripsit βαρὺν δ' ἄρα θ. ἔχ., quam emendationem, quia particulae ἄρα in tam gravi oppositione nullus est prorsus locus, recte reiecit Kreusslerus p. 15. At quod ipse probat ἐνὶ et Koechlyus, Hartungius, alii receperunt, a litterarum similitudine nimis abest et potius equidem ἅμα corrigendum esse censeo [51]).

Denique etiamnunc dubitatur de v. 140 Δάφνις ἔβα ῥόον, quod Meinekius et alii de morte in undis quaesita, alii iique plurimi de descensu ad Acheronta intellegunt, Kreusslerus l. c. p. 17 Theocritum consilio et de industria ambigue locutum esse arbitratur, equidem ad μέγαν ῥόον Ἀνάπω v. 68 refero: quam quaestionem quae latius aliquanto patet nec minus de sententia fabulae, quippe quae nonnisi iis, quae et ab aliis scriptoribus et ab ipso Theocrito aliis locis de Daphnide eiusque amoribus tradita fictaque sunt, cognosci possit, in aliud tempus mihi proferendam esse video.

---

[51]) Greverus ἀνὰ positum esse suspicatur, pro ἄνω, supra, in summa parte h. e. in externo specie l. c. p. 12.